

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Theses Philosophicae De Credvlitate Atheorvm**

**Grosch, Georg**

**Lipsiae, [1723?]**

**VD18 13485679**

## Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



I.

**I**ntra praeiudicia, quibus nuntium mittere debet  
sapientiae studiosus, non postremum est, quo re-  
liquis mortalibus acutiores sibi videntur, qui coe-  
lum impia exspitione commaculant, hoc est, diuini  
Numinis existentiam vel negare vel in dubium vo-  
care sustinent.

II.

Cum perinde sit, vel nullum credere Deum, vel talem com-  
minisci, qualis esse omnino nequit, quod posterius cum antiquis  
Stoicis Spinozistae faciunt, Deum cum natura confundentes, atque  
per omnes res diffusum & dilaceratum fingentes: non difficile  
est iudicatu, atheos & ita dictos deistas pari passu ambulare, hos-  
que non nisi ad inuidiam & magistratus animaduersiōnem decli-  
nandam mitiori deismi vocabulo commentorum suorum impieta-  
tem horrendam contegere. \*

III.

Tantum abest, ut existimari debeat, atheos singulari quadam  
iudicii vi pollere, ut potius vel maxime stultitia, credulitate &  
superstitione laborare deprehendantur: quippe qui reuera non  
argumentis, sed nimirum vita scelerata, cupiditateque, a metu  
Numinis, voluptatum turbatore, se liberandi in atheismum aufe-  
runtur.

\* Vid. viri doctrina & humanitate excellentissimi, *Richardii Bentleii*, apud Cantabrigien-  
ses Theologiac Doctoris & Professoris Regii stultitia atheismi p. §. 13. 54.

runtur. Hi enim natales esse solent istius calamitatis, ut homo, vitiorum impetu quasi extra se raptus\*, & ad meliorem frugem redire nolens, ad auferendos tantisper e conscientia cruciatus dubitare incipiat, vtrum sit Deus, nec ne? vtrum anima immortalitate gaudeat, nec ne? vtrum bonum & malum, iustum & iniustum, honestum & turpe vero discrimine sit sciunctum nec ne? Vtrum hoc consequi solet neutrum, seu amentissimus scepticismus, & quod cum hoc connectitur nihilum; vt tandem miserrimus iste homo sibi & aliis persuadere annitatur, nullum esse Deum, nullam animae immortalitatem, nullum bonum vel malum natura, sed hominum saltem instituto.\*\*

#### IV.

Athei stulti sunt, cum primo spem beatæ immortalitatis cum laetitia & tripudio abiificant, asserenda animae mortalitate; tum vero eas veritates repudient, quibus in pectus admissis nullum damnum metuendum, neglectis vero & explosis discrimen ad eundum est longe maximum: cuius formido etiam atheorum clamatae impietatis pectora non potest non interdum perfodere.

#### V.

Athei creduli sunt, quia credunt, quae nullo modo credibilia haberi possunt, nimirum: mundum aut ab aeterno extitisse, aut casu esse ortum; nihil dari praeter materiam; eamque cogitare, habere conscientiam sui, syllogismos facere; stomachum esse coquum rationis, quippe quae constet ex particulis, post concoctionem cibi e stomacho in cerebrum ascendentibus; porro sidera sua sponte ordine tam constanti, tamque admirando circumferri, nihilque opus esse causa quadam, a qua haecce & alia naturae miracula profecta dici debeant.

#### VI.

\* ἀποθηκωθέντες ἐξεισαγόντης ἀνθρωπίνης Φύσεως, Polyb. lib. I. p. m. 33.

\*\* Conf. viri summe venerabilis D. ERNESTI SAL. CTPRIANI praefatio hilariis euangelicis praemissa, in cuius capite primo religionem naturalem aduersus atheos, credulitatis evidentissime conuictos, defensam legisse, non poenitebit eos, qui nescio quod atheistorum acumen mirantur. Maxime hic conferatur, §. III. p. II.

VI.

Cum aeternitas non nisi de ente simplicissimo possit praedicari; sequitur, quod de mundo eadem dici non possit.\*

VII.

Difficilis probatu esse videtur sententia, contendentium,\*\* aeternitatem mundi ita concedi posse, ut tamen nullum inde athei causae suae praesidium accersere queant. Licet enim decretum de mundo condendo aeternum fuerit, non tamen inde potest effici, ipsum quoque mundum aeternum esse potuisse; quia aeternitas, duratio actu infinita, cum natura entis a Deo producti, adeoque existentiae suae terminum agnoscens, omnino pugnat.

IIX.

Qui mundum casu ortum ac confectum dicunt athei, levissimae credulitatis se reos faciunt, cum vulgatissimus atque omnium saniorum consensu approbatus philosophorum canon: ex nihilo nihil fit, contrarium tam evidenter evincat, ut helleboro opus habere videatur, qui hac in re verum a falso dignoscere nequeat.

IX.

Omnia atheorum systemata, a quibus Opifex huius vniuersiter Optimus Maximus excluditur, tenebris & contradictionibus adeo referta sunt, ut longe facilius sit, profundissima quaevis religionis christiana mysteria credere, quam illorum veritatem perspicere.

X.

Absurdum est, ad soluenda, remoto rerum omnium opifice, naturae phaenomena ad occultas qualitates, velut ad sacram aliquam anchoram, configere; quia, qualescunque demum illae sint, longe tamen depressoress esse oportet, quam ut ad sublimitatem

\* Vid. Bentl. I. c. p. 189. seqq. coll. praeft. hilar. euang. c. I. §. VIII. p. 19.

\*\* Conf. Parker's disputationes de Deo disp. IV. p. 451. Bacl. in diction. hist. crit. p. 2901.

tatem effectuum, quos naturaliter produci videmus, possint assurgere. Si enim qualitates illas occultas effectuum naturae causas adaequatas dixeris, simul credere te oportebit, naturam esse omnipotentem, gaudereque ratione, quod non credulitatis solum, sed & superstitionis plenissimum est. Nam id, in quo nihil est temerarium, nihil fortuitum, omnia vero consentientia inter se, & quadam venustate atque ordine admirando commendabilia; profecto debet a ratione proficisci, idque in rebus, quae ne exquisitissima quidem rationis solertia effici possunt, a ratione infinitis viribus instructa.

### XI.

Licet athei aude arripere soleant mechanicorum philosophorum placita; reuera tamen nihil praesidii in iis inueniunt, cum primo, qui ex mechanismo naturae phaenomena resoluunt, fateri tamen debeant, esse aliquem, a quo istae naturae leges profiscantur, tum vero semper superfutura sint aliqua, quae ad mechanismum minime possunt reduci: vnde magno conatu magnas nugas agunt, qui mechanismum vel bona fide, vel, vt atheistorum commentis patrocinentur, ad quaevis macrocosmi & microcosmi phaenomena explicanda sufficere contendunt.\*

### XII.

Si cogitationes animae humanae a materiae particulis profiscuntur, sequitur, pro varietate & numero particularum crassiorum vel subtiliorum, pauciorum vel plurium diversas quoque esse debere cogitationes, quia, qualis causa, talis effectus. Atque ex hac ratione porro eueniet, vt cogitationes hominum de iisdem veritatibus nunquam inter se consentiant: adeoque atheus nullam rationem reddere poterit, cur vna sit in omnibus hominibus arithmeticā, geometriā, vnum omnium iudicium, peius esse, matrem occidere, quam canem aut muscam, idque in temperamentis diuersissimis: nullam quoque poterit rationem adderre, cur stomachus, a quo rationem coqui credit, non mittat

inter-

\* Vid. Rati Wisdom of God p. 47. 48.

interdum plures particulas, quam opus est ad cogitandum : bis duo sunt quatuor. Nam si plures mitteret, cogitaremus, bis duo esse undecim.

### XIII.

Ex operationibus animae omnino cognoscimus, eam esse immateriale, adeoque immortalem; stultosque esse & credulos, qui sibi persuadent, dari λόγον ἔνυλον, seu rationem, qua homo gaudet, ex materiæ particulis constare, cum omnis materia, in se spectata, vita & motu careat, anima vero actionibus vitalibus, iisque longe nobilissimis & non raro stupendis praestantiam suam a materiae ignobilitate vindicet. \*

### XIV.

Solus homo sentit praeteritum atque futurum, solus videt principia, causas & consequentia rerum, solus similia similibus comparat, rebusque praesentibus adiungit atque annexit futuras, quod *Grotio*\*\* dicitur circa similia similiter agere; solus ideas, numero tantum non infinitas varie componendo, diuidendo atque inter se comparando in abditos veritatum omnium recessus penetrare potest: bruta vero, licet in quibusdam actibus miranda saepe solertia vti deprehendantur, tamen, vt *Grotius* loquitur, circa actus alios, istis neutiquam difficiliores, par intelligentia in illis non appetit. *Igitur inter cognitionem, quae sensu fit, eoque sensualis dici potest, & rationis collectiones stupendas omnes vident magnum a Deo ipso interuallum constitutum esse.*\*\*\*

### XV.

Discrimen est inter bonum & malum, iustum & iniustum, honestum & turpe ab ipsa natura, adeoque etiam a naturae auctore, Deo, constitutum: & cuivis actui, qui ex sua natura non est indifferens, ineft moralis turpitudo, aut necessitas moralis, aestimanda ex eius conuenientia aut disconuenientia cum ipsa natura

\* Vid. Bentl. l. c. preelectione II, cuius titulus: *Materia & motus cogitare nequeunt.*

\*\* Prolegom. de I. B. & P.

\*\*\* Ita concludit Mecaenas noster, summe reverendus D. CYPRIANVS l.c. p.20. in notis.

natura rationali.\* Qui vero naturale hoc inter bonum & malum discrimen tollunt athei, quibus ius naturæ non minus, quam religio nihil aliud sunt, quam fulcra rerum publicarum a politis excogitata \*\*, simul credere debent, non esse peius, matrem occidere, quam canem aut muscam, nullum esse discrimen inter facta maxime heroica & flagitia maxime detestanda : vnde hoc quoque argumento credulitas eorum atque stultitia patescit.

### XVI.

Denique superstitioni quoque sunt athei, naturae rationem & vires infinitas, sine quibus effectus illi, quos videmus, produc nequeunt, tribuentes: qua in re maxime se deridendos propinant maledicti Spinozae sectatores. Nam qui in horum systemate, quo Deus cum natura confunditur, nihil superstitioni deprehendit, non iniuria aut partium studio laborare, aut facultate de istis rebus iudicandi destitui censemur.

### XVII.

Dantur entia, quae sensibus non percipimus, qualia sunt, ut ex multis pauca proferam, virtutes, itemque ipsae artes mechanicae. Nec potest nobis opponi, esse solum modificationes entium. Nam hae quoque sunt entia realissima, quia oriuntur non ex absentia, sed ex positione alicuius rei, & in illa positione suam possumit habent naturam.

### XIX.

Quemadmodum itaque athei facilime possunt stultiae, credulitatis, atque superstitionis convinci: sic iidem turpiter errant, cum sibi persuadent, credulos esse, qui religionis christianaे mysteriis fidem adhibent, vt pote quae ita comparata sunt, vt rationis captum excedant quidem, quemadmodum sexcenta alia, in ipsis naturae operibus occurrentia, minime tamen pugnant aduersus rationem. Contendentes vero, mysteria ideo repudianda esse, quod ea euidenter & perfecte cognoscere nequeamus,

nullo

\* Vid. Grot. I. B. & P. lib. I. cap. I. §. X.

\*\* Conf. saepe laudata praefatio hilar. evang. c. I. §. III.

nullo negotio refelli possunt quam plurimis exemplis verae cognitionis, quae tamen non est perfecta, aut euidenter demonstrari potest: quale est illud, quod *Vir summe venerabilis D. CYPRIANVS*, attulit \*de numero stellarum, gutterumque maris, quem necessario aut parem aut imparem esse oportet, licet nemo sit, qui hoc demonstrare possit.

XIX.

*Qui mitissime de atheis loquuntur, vno ore fatentur, omnes, eos cum maximo periculo esse stultissimos.*

XX.

*Quo quis rectius, solidius & rationi conuenientius philosophatur, eo longius ab atheisticae vitilitigationis periculo.*

XXI.

Veteres philosophos non temere in partes atheorum recentiorum trahere debemus. Nam licet nonnulli eorum tales sententias fouverint atque defendenterint, quibus numinis divini existentia vel directe vel indirecte tollitur; tamen recentiores, ex gremio religionis christianaee prodeentes athei, omnem antiquorum illorum temporum impietatem malitia & stupore vincunt, cum ad rationis abusum eius quoque religionis contemptum adducant, quae sine praeiudicatis opinionibus in pectus admissa rationis imbecillitatibus mederi, atque ignorantiae tenebras, circa nonnulla religionis naturalis capita superstites omnes dissipare potest.

\* L. c. §. IX.





